DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

SUPERSTITIONE MEDICA,

Quam,

PROPITIO NUMINE DIVINO

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO

CUM HONORIS CULTU PROSEQVENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS.

D. OCTOBRIS MDCCXX.

PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET,

DAVID GODOFRED. KLETSCHKE

ZÜLLICHIO-SILES.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis IOANNI CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

SUPERPURGATIO
INFLAMMATIONIS.

PRO GRADU DOCTORIS

DAVID GODFREY SKILLMAN

PROOEMIUM.

MEdicæ artis laudes & merita deſcribentes ac commendantes inter alia argumenta atque momenta polymathiam illius declamare & celebrare ſciunt, quod videlicet omnes ferme reliquas ſcientias & artes quoad fundamenta ſua comprehendat, imo complecti debeat: quare *Valeſius in declamatione pro laude medicinæ medicum perfectum ex omni doctrinarum Encyclopædia conſtare poſſe* aſſerit; *conf. Juſt. Verpius Haganus in orat. an in medicinæ varia cognitio requiratur:* quam conſiderationem fuſius *Caſp. Rejes Qv. Juc. Camp. Elyſ. qv. 2.* perpendit & inter alios *Iſidorum & Eraſmum* allegat, qui profitentur *Medicinam ſcientiam eſſe non unam aut alteram, ſed omnium conſortio conſummatam:* cum quibus conſentit *Porphirius*, qui in honorem Medicinæ diſſerit; *hæc eſt ars cui ſeſe omnis pariter ſapientia debet* & quibus ſuum ſuffragium addit *Tiraquellus n. 73.* quando dicit *medicinam*

ex omnium artium cognitione conſtare: quare ipſi artis medicæ primi & principes Præſules & Coryphæi Diis ſuis honorem tribuerunt, quod ipſi medicinam invenerint & mortalibus communicaverint, proinde illos Diis ſimiles futuros judicarunt, qui in hac arte bene verſati ſunt, quibus ipſis animadverſionibus implicite indicarunt, quod in ſtudio medico omnes vires humanæ concentratæ ſint, hinc in eodem plus quam humanum quid valere, declararunt: quemadmodum enim Medicina immediate ab ipſo Deo quoad fundamenta ſua pendet, ita omnis Medicus bonus Theologus eſſe, opera Dei manifeſtare, explicare, imitari & venerari, quid quod gratiam & benedictionem Dei ſibi conciliare debet, quia Medicinæ author, protector & Sator eſt Deus: porro Medicina ſuum cuique exacte tribuere, omnem iniquitatem, quæ rempublicam & œconomiam vitalem turbare & evertere conatur, abigere & expellere, ordinem naturæ tueri, juſtos ac ſalutares proceſſus & ſucceſſus motuum vitalium conſervare & defendere, adeoque juſtitiam in omnibus ſuis actionibus exercere debet: ſubinde etiam convenit in medicina omnia ſecundum rectam rationem adminiſtrare, juſte concludere, exacte comparare, bene definire, rite diſtinguere, apte connectere & juxta Hippocratis monitum à ratione non diſcedere: multum etiam intereſt, quo Medicus morali philoſophiæ ſtudeat, quare *Galenus II. Epid. Sect. 5. text. 1.* & ex eodem *Valeſius* confitentur, quod *Philoſophia morum ſit pars Medicinæ* & ut *Plato in Cratilo* eloquitur: *munus medici eſt corporis animique puritatem ſervare:* & quidni ſtudium phyſicum pro

medico

medico abſolute neceſſarium vulgo reputetur! dum ad ſtudium medicinæ notitia corporis humani & ſingulorum illorum ſubjectorum naturalium, quibus cum illius integritas adjuvari poteſt, refertur, ita ut partim illorum elementa, partim vires & relationes erga ſe invicem debite explorentur: hinc pro neceſſitate, utilitate & authoritate philoſophiæ naturalis pro medicina pervulgata illa *Hippocratis* oracula & teſtimonia allegari ſolent: *conare ut phyſicus evadas; ubi deſinit phyſicus, ibi incipit medicus:* hæc conſideratio licet cum eximio rationum & demonſtrationum apparatu confirmari & pro peculiari themate reſervari poſſit, brevibus tamen indicatum fuit, quod *Seneca 5. controverſ. aphor. 1.* de arte medica elocutus eſt: *medicinam*, inquit, *relinquo, multum laboris, multum vigiliarum:* Aſt quo magis amplus eſt campus, per quem ratio & experientia medica decurrit, eo plus vero viciſſim prudentiæ requiritur, ne tantæ dignitatis, utilitatis, neceſſitatis & authoritatis ars tot erroribus, vitiis & criminibus dehoneſtetur & obſcuretur: & quis condigne ſane multitudinem errorum in medicina occurrentium enarrare atroque carbone depingere poterit? imo quo numeroſiores ſunt ſcientiæ & artes cum quibus medicina commercium habet, eo major circumſpectio eſt obſervanda, ut ſuum cuique tribuat ars medica, neve ob multitudinem conſiderationum in pernicioſam confuſionem & veritatum corruptionem ruat: & cum *Beroaldus in enarrat. quaſt. Tuſcul.* adeo magnifice medicinam extollat, dicens: *quis neſcit medicinam ad omnes totius civitatis ordines, ad omnem ſexum, ad omnem ætatem pertinere, cum ſummatibus, infimatibus,*

matibus, viris, fœminis, ſenibus, pueris ægrotare contingat, cum omnes ab hac utilitatem petant indiſcriminatim, meritoque dici poteſt, medicinam rem communem terrarum eſſe. &c. ita maximo ſtudio anniti decet, quo tam celebris ars ab omni nævo, macula & vituperio repurgetur & liberetur: quid vero magis Medicinæ florem, honorem & ſplendorem contaminat, quam fœda ſuperſtitio, quæ undique illam premit & affligit: quare *Langius in præfat. Epiſt. medic.* ingemiſcit: *ſalutare ſummi Dei donum medicinam anus vatidica, ſycophanta & agyrta ſuis impoſturis, arte magica & Idololatria ſuperſtitionibus ac incantamentis profanat & conſpurcat:* & cum ſuperſtitiones non modo vilioris & ignobilioris ſortis homines occupent, ſed ſubinde alia ingenia hac labe laborent, hinc nobiscum conſtituimus præſenti Inaugurali diſſertatione breviſſimis & quoad principales quasdam circumſtantias SUPERSTITIONEM MEDICAM annotare & indicare: Faxit DEUS ut Medicina ab hoc vitio liberetur & propoſitum noſtrum bene cedat.

§. I.

SUperſtitionem *Medicam* brevi delineatione exponentes, neceſſe eſſe ducimus, quo mox in limine præſentis tractationis ſignificemus, quid hoc titulo denotare placeat: haud vero fuſius ex *Servio, Seneca, Cicerone, Lucretio, Lactantio, Gisberto, Voetio, Voſſio* etymologiam & *antiquitus* receptam adeoque inter *grammaticos* & *philologos* agitari ſolitam acceptionem repetere & allegare. Sed *noſtram* mentem circa

ſuper-

ſuperſtitionis indolem ſine ambagibus explicare lubet: eſt vero *ſuperſtitio* falſa aut erronea opinio atque *exiſtimatio* de diverſis ſubjectis *naturalibus* vel realibus vel fictis & imaginariis, quoad *vires*, *uſus* & *utilitates*, qua communiter *divina* quædam poteſtas tacite, aſt cum aliqua *profanatione* colitur & fruſtra accuſatur; hinc *ſuperſtitio* audit, qua cum aliquid *creditur*, quod adhuc *ſuperſtat*, i. e. quod *ſupra ordinarias* & evidentes vires aut ſupra *probatas* & *exploratas* facultates alicujus ſubjecti ſtat, hinc *ſuperſtua fides* & fiducia ſuperſtitio eſt: pro hujus *adumbratione* & coloratione utplurimum ſuperſtitio *Deum* in ſubſidium vocat, quando Deo *plus* attribuitur, ac ipſe tum *operibus* tum *verbo* ſeſe *notum fecit*, eapropter ſuperſtitioſi *ſpeciem* præ ſe ferunt, ac ſi ſemper *circa Deum* verſentur, ac ſi in omnibus & *minutiſſimis* Dei *gloriam* proſequantur, ſed eo ipſo *excedunt* & *veram* gloriam Dei *contaminant*, quando almo Creatori *talia imputant*, quæ ab eodem *minime* profluunt ac dependent: hinc *ſuperſtitioſus* à *gallis* dicitur *Bigot*, quod annotante *Martinio* circa notionem ſuperſtitio idem eſt ac bey GOtt ſive bie GOtt, quaſi ſuperſtitioſi *deo plus adhærere* videantur ac alii: à *germanis* vocatur Aberglaube, quaſi *aberrans* fides abglauben: vel quaſi id, quod ſuperſtitio tractat, ſit *ſupra fidem*, videlicet *veram*, Uberglaube fides *altius* ſcandens, quam oportet: inde eſt cur ſuperſtitioſi *egregiam* quaſi *ſpeciem religionis* & cultus divini præ ſe ferant & *opiniones* ſuas cum patrocinio & *authoritate Dei* exornare contendant, licet talis ſuperſtitio haud difficulter & operoſe *Idololatriæ* ſpeciebus accenſeri queat, quando videlicet in & ſub *fictis* qualitatibus Deus *colitur*, aut ex certis *opinionibus*, quarum fundamentum *perperam* Deo imputatur illius *ſapientia*, *clementia*, *omnipotentia* &c. deprædicatur: idem in *antiquiſſimis* temporibus contigit, ut *nomen* Dei per deprædicationes certarum *poteſtatum* divinarum magis *profanatum*, quam *pio* cultu celebratum fuerit; cujus conſiderationis mentio occurrit in *Illuſtris Stahlii opuſcul. phyſ. chym. med. p. 700. ſeqq.* ita mirum eſſe haud poteſt, cur inter *poſteros* ſimilis *divini* nominis *profanatio*, *falſa* provocatio & *fictarum* qualitatum declamatio adhuc vigeat:

ecquid

ecquid enim ex ejusmodi *superstitioso* cultu divino aliud evenerit, quam talis ἄγνωστος θεὸς, qualem superstitiosi Athenienses adorabant, de quibus *Acta Apost. cap. 17. v. 21.* dicunt: *Athenienses omnes & illi qui veniebant illuc peregrini, de nulla alia re solliciti erant, nisi ad dicendum & audiendum aliquid novi: v. 22. & cum staret Paulus in areopago dixit, viri Athenienses video ego vos quod in omnibus excellitis in religione damonum*; aut *conspicio vos quasi religiosiores*, juxta versionem & interpretationem *Junii & Tremellii*, *detineri nimio atque perverso timore deorum vestrorum*; qualis *perversus* deorum timor antiquis *superstitionem* efficiebat: inde innotuit versio B. Lutheri: Ihr Männer von Athen ich sehe euch, daß ihr in allen Stücken allzu abergläubig seyd: & hæc est δεισιδαιμονία metus & perversus Deorum cultus.

§. II.

Et ita nunc facile liquebit, quid per *Superstitionem Medicam* intellectum habere velimus, dum videlicet *divina* & celebris hæc ars similibus *nævis* laborat, ut in eadem diversa sentiantur, statuantur & supponantur, quæ *vano* quodam zelo atque *religioso cæco* rigore sine ullo *solido* fundamento & sapientiæ & omnipotentiæ *divinæ* imputantur, in quo conatu *nonnulla* hypotheses & sententiæ medicæ, quæ interdum ingeniosum & *præmaturum* rationis humanæ fœtum constituunt, *protectionem*, *patrocinium* & *præsidium suum* quærunt: placet itaque *nonnulla* specimina producere *talium* superstitionum, quæ in *foro medico* passim vigent & occurrunt, ut inde comprehendamus quænam *Deo* & quæ *rationi* humanæ tribuenda sint: neque quidem adeo facile ejusmodi asserta tam *sacræ arti* damnum quoddam afferrent, si eadem non tam *rigorose veritatibus* medicis accenserentur, sed *superstitionum* & opinionum humanarum classi relinquerentur, aſt cum tales *superstitiones* cum pelle & splendore *veritatis* superbiant, vix mirum esse debet, cur tantis fatis ac *confusionibus* submittatur *Medicina*: Neque nobis animus est *præsenti* labore *superstitiosas curationes* medicas ex proposito commemorare, qui labor si pro merito expendendus & deducendus esset, peculiare opus constitueret, neque

que in talem opellam comprehendi posset; unde *cursoria* quasi pensitatione *nonnullæ eminentes* superstitiones indicari debent: & licet *Medicina* proximè *à Deo* originem suam habeat, attamen vix tam *sacra* hæc est ars, quin eandem *copiosissimæ* superstitiones contaminent: & heu! quot non *genera*, *species*, *nationes*, *ætates*, *sexus*, *sortes*, *conditiones* hominum medicinam tanquam *mercenariam* rem tractant! & quantæ inde non *accumulabuntur* superstitiones: hinc simplex opilio, superstitiosa anus, fraudulentus agyrta varias opiniones, persuasiones, observationes, imaginationes & traditiones declamat & propagat: neque tantum *hujus sortis* homines *tantis* erroribus patrocinantur, sed & scioli & *emunctæ* naris homines sub diversa *sapientiæ* larva ad varias *superstitiones* viam monstrant & aperiunt: inde proh dolor contigit, ut plurimarum fermè *superstitionum* fundamenta in Medicina *applicata*, confirmata & *propagata* deprehendantur: & quemadmodum quædam superstitio crassa, alia vicissim *subtilis* est, ita sane *prudentia* opus est, ne sub *vulgatis* opinionibus in *optima* hominum ingenia ejusmodi *subtiliores* superstitiones insinuentur & inspergantur, quare non modo fœda talis *superstitio* in corrumpendis hominum animis *pro se* militat, sed & vana illa *credulitas* sororias fidasque manus eidem subministrat.

§. III.

Quo itaque ipsam rem tractemus proximum nunc erit, ut *aliquot* specimina *taliam* superstitionum producamus, quæ in foro *medico* enutriri & propagari solent: placet vero pro meliori ordine nonnullas superstitiones quæ in Medicina *theoretica* occurrunt, allegare, deinde alias etiam annotare, quæ ad Medicinam *Practicam* spectant: In *Theoria* Medica sane *principalissima* & cardinalis est superstitio, quando pro *tutela* variarum sententiarum, admodum *suspectarum* & male *cohærentium*, subito ad *potestatem Creatoris* provocatur, indeque *concluditur* quia Deus *potuit* hoc vel illud ordinare, disponere, efficere, producere, qualificare &c. *ergo* ipsa res se *ita habet*, prout præsumitur, *præfiguratur*, traditur, concipitur

& fin-

& fingitur; inde *præcox* invaluit & increbuit *concluſio* à *poſſe* ad *eſſe*: & ſi quis de veritate & certitudine talium hypotheſium dubitaverit, mox ſuperſtitioſa irruit *oblocutio*, ecquis *dubitet!* nonne Deus hoc aut illud efficere potuit! *itane manus dei omnipotentis ſive Jehovæ curta eſt Numeri XI. v. 23. an anguſtatus eſſet Spiritus Jehovæ Micha II. v. 7.* exinde vero eminet illud præcipitatum & *ſuperſtitioſum* refugium ad Deum, quando *falſæ* perſuaſiones mox cum *omnipotentia* dei confunduntur; dum nullus ſane dubitare poterit, quod non Jehova omnia efficere *valuerit*: *de eo* tantum diſceptatur, *an* etiam omne *id*, quod deus *potuit*, etiam *actu* præſtiterit: & hac ſuperſtitione multæ *theoriæ* medicæ, harumque *refugia* nituntur, quare præſentem conſiderationem inſtar *normæ* producere placuit, ſecundum quam ejusmodi *coloraciones* ſententiarum medicarum examinari poſſunt: neque quidem ita confeſtim *ſpecialiſſima* talia theoremata medica allegare lubet, in quorum *patrocinium* hæc provocatio ad *omnipotentiam divinam* adhibetur, cum in *ſequentibus* animadverſionibus ejusmodi ſententiæ medicæ paulo clarius idem affirmabunt, quam *ludicre* ſæpe hæc *divina* poteſtas accuſetur, quo valet *Pſalm. 50. v. 16. improbo autem dicit Deus: quid tua ut enarres decreta mea & aſſumas fœdus meum in ore tuo:* ejusdem cenſus ac valoris eſt, quando in *cauſa falſa ſapientia Dei* declamatur; qualis *abuſiva* qualitatum *divinarum veneratio* admodum fugienda eſt, dum ſatis ſæpe in ejusmodi opinionibus, *imaginationibus* & traditionibus aut ſuppoſitis qualitatibus ſeſe divina ſapientia non prodidit: ita v. g. *ſuperſtitioſa veneratio omnipotentiæ & ſapientiæ divinæ* eſt, quando certis *remediis* vis & *energia* illa ineſſe creditur, qua hunc vel alium morbum *curare* queant, quoniam medicamenta quidem *certam* efficaciam habent, quod vero *Deus* ipſis *tales* vires conceſſerit, quibus *per ſe* morbos *ſubjugare* poſſint, veritati omnino repugnat; inde tamen contingit, ut frequentius in *inverſa* & *perverſa* cauſa, nec non in *confuſo* ordine adeoque *ſuperſtitioſe* Deus colatur, *nam Deus eſt Spiritus, & qui adorant eum, oportet ut Spiritu & veritate adorent, Joh. 4. v. 24.*

§. IV.

Adhuc *craſſius* in ſuperſtitione medica hærent, qui non modo à *poſſibili* argumentantur, ſed qui mox *præcoci* animo ad *voluntatem* Dei confugiunt & cum *majori* rigore adſtruunt, *Deum* hoc vel illud *voluiſſe*, quod nonnulli *fingunt* atque *ſupponunt*, iterumque ſuas *opiniones* cum *præſidio authoritatis divinæ* præmuniunt: etenim quando *vires* & *facultates* quædam in aliquo ſubjecto *difficulter* demonſtrari, concipi & explicari poſſunt, tunc paſſim *pervulgatum* illud *aſylum* innotuit, *Deus ita voluit*, ubi interdum ita *temere Deo talia* imputantur, quæ *nullo modo* demonſtrari poſſunt, quod Deus *illa ita eſſe* voluerit: v. g. ſi quis *ambigit*, an *materiæ* habeant vires *motrices?* mox reſonat illud *Deus ita voluit!* ſi quis dubitat, an ſubjectis *corporeis* concredita ſit facultas *ſentiendi?* mox excipit exclamatio, *Deus ita voluit!* ſi quis negat quod *Spiritus* cum facultate *movendi* præditi ſint, quod tam exactum *influxum* in partes ſervent &c. mox regerit ratio, *Deus ita voluit;* miſſis pluribus ſimilibus ſpeciminibus ſententiarum tam *phyſicarum*, quæ ad *theoriam* medicam applicari ſolent, quam preſſius *medicarum*, ex quibus nonnulla in ſequentibus ſpeciali cura annotabuntur: quidni vero *ſuperſtitionibus* medicis annumerari debeat, ſi tales *opiniones* ſub pallio *veritatis* cum præſidio voluntatis *divinæ* ſuperbiunt, nam Deum *talia voluiſſe* citius *ore* enunciatur, quam *ſolide* demonſtratur; hinc evenit, ut qui *de eo dubitare* veretur, an etiam Deus talia voluerit, *cæco* quodam affectu illam exclamationem, quod Deus hæc voluerit, *credat*, adeoque *plus* credat, quam quod *veritati* reſpondet & dum *ſuperflua* credit, *ſuperſtitionem medicam* committit; quod vero Deus *non omnia* illa *voluerit*, quæ vulgo illius voluntati *imputantur*, diverſa momenta comprobant: Deus enim amat *ordinem:* nunc enim è *communi* hac hypotheſi varia *Deo* adſcribuntur, quæ ordinem *violant*, quæve propterea *minime* voluntati divinæ adjudicari poſſunt: deinde hæc hypotheſis, prout ex *communi* illius uſu judicare licet, illis *refugiis* annumeranda eſt, quando *aliæ ſolidæ* rationes & *demonſtrationes* deficiunt, ut ita ſæpiſſime *præceps*

ſaltus ad *voluntatem divinam* inſtituatur, ex qua circumſtantia proinde hæc ſententia ſatis ſuſpecta minusque ingenua eſt: porro communiter *nullæ parallelæ* animadverſiones occurrunt, quæ hanc ſententiam, qua ita *ludicre* divina voluntas accuſatur, *roborare* poſſunt: v. g. an *alibi* ſubjectis *corporeis* conceſſa ſit *energia movendi*, ut exinde *concluſio* formari poſſit, ergo *ſpiritus* per *voluntatem dei* movere poſſunt: aut an de *aliis materiis* facultas *ſenſitiva* prædicari poſſit: & cum ſine ullo *præjudicio* aut *hypotheſi* tales facultates in ſubjectis *incorporeis* deprehendantur, ita ex nuda *ſuperſtitione* eædem qualitates in *alia* ſubjecta transferuntur: id quod hoc loco tanquam in aliquo exemplo proponere placuit, licet hujus conſiderationis plura exempla proferri & applicari queant.

§. V.

Superſtitionibus Medicis porro annumeramus illam *vulgarem* opinionem & *traditionem* de certis & *determinatis figurarum* ſpeciebus in diverſis *corpuſculis* partium *fluidarum*, ut & in diverſis *poruli*s partium *ſolidarum*: vix vero negamus, quod ejusmodi partes *omnino certas figuras* habeant, ſiquidem plane materiæ *primæ*, ſive principia *elementaria*, quia *extenſionem phyſicam* habent, etiam ſine omni dubio cum certa *figura* prædita ſunt, quæ tamen ita *exacte* & pro *certo* quoad *ſpeciem* ſuam determinari minime facile & ubique poteſt: & licet interdum oculus *armatus* peculiares *figuras* in quibusdam partibus comprehendere poſſit, tamen hæc notitia *ultra ſuos limites* minime eſt extendenda, neque in hoc caſu *phantaſiæ* & imaginationi indulgendum eſt: haud enim *ſufficit*, *quomodo* hoc aut aliud quisquam *concipere* & ſibi imaginari *poſſit*, ſed præſtat rectius *veritati* ſtudere: nam *phantaſia* innumera ſibi *præfigurare* poteſt, propterea vero illa imaginatio non *indubia* eſt: ita ſane *falſa* eſt aſſertio, quod *omnia fluida* figuram *ſphæricam* habeant, quoniam corpora *rotunda mobiliora* exiſtunt, hinc à *craſſis* corporibus confeſtim *argumentatio* ad *ſubtilia* inſtituitur: quaſi vero ipſa *ſubtilitas* corporum *qualitercunque* figuratorum non *æque facilè* mobilitatem adjuvet, ut corpora triangula-

gularia, quadrangularia, cubica, modo *ſubtilia* ſint, ſimili *agilitate* gaudeant; ita etiam evenit, ut *ſufficiens* motus corpora *cujusque* figuræ *rapidiſſimè* actuet, ut *aquæ* & *olei* inſtar fluant: quis v. g. *regulo antimonii* adſcribat figuram *rotundam* & tamen ipſe ſub applicatione *potentioris* motus in *aqueam* fluiditatem converti poteſt: & licet juxta hypotheſin *aqua ſphæricam* figuram poſſidere debeat, quis & quomodo quæſo hanc figuram aquæ *aufert*, quando in *glaciem* convertitur? quando itaque nonnulli tam *exquiſitam ſpeciem figuræ* promiſcuè in aliquo ſubjecto *ſupponunt*, tunc eo ipſo *plus credunt* ac *veritati* quadrat & dum *creaturis* aliquid *affingunt*, de quo non *apodictice* aſſeverare poſſunt, quod illud creaturis *inſit*, hinc ſuperſtitionem committunt, dum tantum talia ſibi imaginantur, adeoque ex *imaginariis* principiis indubias, certas & *demonſtrativas veritates* proponere non erubeſcunt: hujus indolis ſunt principia *meterialia*, quæ finguntur *excavata*, *lucida*, *radiantia*, *teretia*, *tortuoſa*, *haſtata*, *hamoſa*, *cuſpidata* &c. ubi fruſtranea erit excuſatio, quando hæ opiniones in dubium vocantur, quaſi contra principia diſputandum non ſit: etenim ſi *principia* ſunt fœtus ludentis & petulantis *phantaſiæ*, quis ita *credulus* fuerit, ut illas *ſpeculationes*, quæ ex ejusmodi imaginationibus ortum traxerunt, pro ſerioſis & utilibus *demonſtrationibus* atque *veritatibus* æſtimet! & ejusmodi theoria quæ ſuper talem arenam ædificata eſt, facile corruit. & magnam ruinam patitur, dum in eadem *ſuperflua* creduntur, & *incerta* pro certis ſupponuntur, unde *ſuperſtitio* emergit: ita ejusdem cenſus eſt theoria de *ſecretione humorum*, quæ hac *proportione* & relatione *figurarum* in humoribus ſive particulis & poris ſecretoriorum organorum nititur.

§. VI.

Non exigui valoris *ſuperſtitio* medica *theoretica* eſt, quando *animæ humanæ* jus & *poteſtas movendi corpus* denegatur ex illa *perſuaſione*, quia anima *incorporea*, adeoque nobilior ſpiritus eſt, qui tantum circa *abſtractiones* verſatur, neque *craſſum* & *crudum* corpus citra *violationem dignitatis* ſuæ movere debet

aut poteſt: hinc ſæpe *altius* de anima judicatur, cum viciſſim multis modis demonſtrari poſſit, quod omnino *anima corpus* ſuum, quod inhabitat, *moveat*: neque adeo *magni* ponderis *illa* ratio eſt, quaſi *propterea anima corpus movere* nequeat quia *incorporea* exiſtit: nam *antiqua* illa traditio, quaſi inter *corporeum* & *incorporeum* nullum commercium detur, à *veritate* perquam diſtat: & licet *incorporeum* ſubjectum aliud *corporeum* non per *contactum phyſicum* offendat, aggrediatur & amplectatur tamen exinde *non ſequitur*, quaſi incorporeum cum corporeo *plane non* conuenire poſſit, medium enim per quod principium *incorporeum* in ſubjectum *corporeum* operatur, ita eſt *diſpoſitum*, ut *ex illo* egredi & *in hoc* progredi commode valeat, quod præcipuè de *Motu* dictum ſit: ſed quis ita *ſuperſtitioſe* de anima judicaverit, quaſi illa tantum circa *ſiblimiores* operationes verſetur & corporis ſui *integritati* inhærere & invigilare non debeat! cum *ipſa* ſit *propter corpus* & *hoc* ſit propter *animam*: ecquis negare poterit *commercium animæ* cum *corpore* in motibus *voluntariis* & communione *patheticarum*, commotionum cum motibus *vitalibus!* quanti vero valoris ſint *argumenta*, quia anima de *corpore* ſuo non *cogitat*, quia *arbitrarie* motus internos *imminuere*, *augere* & mutare non poteſt, quia ſæpe *perniciosæ* operationes deprehenduntur, ergo motus *vitales* ab *anima* non adminiſtrantur, judicet cui placuerit: interea negari non poteſt juxta *communem* hypotheſin quod *ſpiritus* animales ab *anima* impelli debeant, quod *anima* hos ſpiritus *proportionate*, accurate & exacte *dirigere* debeat, quod tamen de *hoc actu anima non cogitet*, quod anima *hos motus* non poſſit ſecundum *nutum*, *beneplacitum* & arbitrium ſuum immutare, quod interdum ex *hiſce motibus ſiniſtri* effectus & eventus prodeant: inde ſane aperte liquet, quod hæ conſiderationes non bene *conveniant*, quoniam ex *falſo* fundamento & principio fluunt: adeoque pro *ſuperſtitione* æſtimamus, quando tam aciter animæ *energia in corpus* humanum & œconomiam *vitalem* adminiſtranda, *denegatur*, quia eſt *anima*, quia eſt *cogitans*, quia eſt *incorporea*, quia non omnia *ſecundum voluntatem* ſuam in cor-

pore

pore operari poteſt; quibus animadverſionibus occaſio præbetur *altius* de anima ſentiendi, aut *talia* ipſi *affingendi*, quam *veritati* reſpondet, cum potius per ejusmodi aſſerta *animæ* capacitates & *activitates imminuantur*, infringantur & proſcindantur, cum contra *œconomiæ animali* longe magis *congrua* ſit aſſertio, quod *anima rationalis* ſuum *corpus moveat* & dirigat, ac quidem corpus *ſe ipſum* per divinam *voluntatem* & *vires* à Deo ipſi *conceſſas* actuare & dirigere debeat: an non in ejusmodi *ultima* claſſis *opinionibus* & traditionibus *ſuperſtitiones* quædam hæreant, dum *admiratio Dei* in *falſis* qualitatibus *animæ* & *corporis* inſtituitur, facile judicare licet.

§. VII.

Cum in præcedentibus illius *intricati* & ſcandaloſi fermè objecti & ſubjecti, nimirum *Motus* mentionem fecerimus, qui illud *medium* eſt, *per quod anima* cum *ſuo corpore* commercium habet, ita in mentem mox incidit, quomodo ipſa *diſquiſitio phyſico-medica Motus* diverſis ſonticis *ſuperſtitionibus* inquinata ſit: *quid* motus ſit & *phyſici* & *medici* valde ambigunt, interim utrique ſine motus *conſortio* parum explicare & *demonſtrare* poſſunt; quare optandum eſſet, ut in motus Theoria *clariores* & *ſolidiores* animadverſiones & propoſitiones conſtarent: inter alias vero de motu obvias aſſertiones nobis *illa* non parum *ſuperſtitioni* favere videtur, quando ipſe *motus eſſentialiter materialis* eſſe declaratur, aut quando pro *principali qualitate*, proprie & proxime *materiæ* competente, æſtimatur; hinc in familia & *genealogia motus* utplurimum *vires materiæ* & *corporum* perorantur, inde innotuerunt illæ opiniones, motum eſſe certam *vim*, certum *niſum* à *Deo materiæ* inditum, è *materia* expirantem, aut certam *facultatem* per *voluntatem Dei materiæ* in & adhærentem: cum itaque à motu tantæ alterationes & *mutationes* pendeant, *motus* vero ex proſapia *materiæ* derivatur, hinc animus plurimorum ad *materias* trahitur, inde oriuntur *confuſiones* inter *agens*, *actum*, *effectum* & *patiens*: hinc illæ perverſæ *cauſarum complicationes*, ut *actus & ſucceſſus* ſub certis *directionibus* & ſalutaribus deſtinationibus comprehenſi,

for-

fortuitis, turbulentis, confusis, accidentalibus, merè noxiis & absolutè *præternaturalibus* processibus adscribantur: non quidem de eo jam disceptamus, quanti *ponderis* sit illud argumentum *immaterialitati* motus oppositum, quasi motus *extra materiam* concipi non possit, cum tamen *idem fatum* premat considerationem motus *in materia*, ut æque minus quisquam de *motu* qua tali *in materia* aliquid crasse concipere queat, ac de *motu extra materiam concipere* integrum est: neque *illud* argumentum motum quoad *essentiam materialem* reddere poterit, alias *Deus, angeli, spiritus, anima*, quia cum *materia* congrediuntur & *in materiam operantur, materiales* essent & per consequens *nihil immateriale* deprehenderetur: minime enim pro essentia *materiali* motus militat assertio, quia motus in & *cum materia conjunctus* observatur, aut quia motus *in materia* evidentiora phænomena prodit, *ergo* motus est materialis, qualis conclusio *logice* æstimata *falsa & inadæquata* est: & hæc ipsa opinio de motu *superstitionem* olet, dum perperam *materiæ tales* facultates adscribuntur, quæ *ipsi minime* propriæ sunt, sed quæ materiis iterum ex illa *persuasione* imputantur, quasi *Deus voluerit* aut potuerit *motum materialem* & materiis *proprium* efficere; inde evenit, ut nonnulli *sapientiam Dei* ex *falso* principio admirentur & venerentur; imo hinc mirum esse non potest, cur ex ejusmodi *superstitiosis* opinionibus aliæ aniles *traditiones* oriantur, velut si *motus* est *materialis, cogitatio* vero est *motus*, ergo *cogitatio* est *materialis:* aut si motus est materialis, intellectus vero & ratio est motus, ergo *capacitas intelligendi* & rationem exercendi cadit *in materiam*: & quæ variæ aliæ *parallelæ* conclusiones ex *eodem fonte* passim profluunt, quas singulas recensere neque tempus neque propositum nostrum permittit, cum tantùm *præsentis* considerationis atque thematis *brevem* delineationem suppeditare placuerit.

§. VIII.

Huic *præmissæ* disquisitioni mox ad latus ponimus aliam, quæ *superstitionum* medicarum numerum auget & quæ non multum à præcedente distat; videlicet in *communi* schola *physicorum*

eorum & medicorum *materiæ* attribuitur qualitas quod ſit *activa* & *ſe ipſam moveat*, quod facultatem habeat *aliquid producendi*, quod *tota eſſentia* ab eadem diſcrepat, hinc *vires materiarum* tam *mirifice* deprædicantur, inde *ſapientia divina* in admirationem ducitur, quod *materiæ tantam* poteſtatem conceſſerit; exinde innotuerunt illæ *formulæ* loquendi, quod *materia* habeant *niſum*, *reniſum*, *repugnantiam*, *tendentiam*, quod *omne grave* tendat deorſum & ad centrum terræ, quod materiæ ſit *inditus* & *concreatus motus* & pro *ſalvanda* tali aſſertione denuo inclaruit *provocatio ad Deum*, quaſi hic *voluerit*, uti *potuit*, materiam eſſe *activam*, quaſi omnis materia per poteſtatem & voluntatem dei habeat *vires motrices:* aſt cum motus *non ſit* materia, ſed ſit *aliud quid*, quam materia & materia viciſſim non ſit motus, tunc ferme nihil aliud *ſupereſt* pro adumbranda & *coloranda* illa aſſertione, quaſi *materia* habeat motum *proprium*, quam *Deum hoc ita voluiſſe* & hinc facile inclareſcit *ſuperſtitio*, qua Deo *plus* imputatur & de eodem plus creditur, quam quidem vel *demonſtrari* poteſt, ac alias *revelatum* eſt: nos *materiam* principalius *mere paſſivam* eſſe ſcimus & *motus aliunde* materiæ *ſupervenire* vix dubitamus, id quod, ſi propoſitum noſtrum permitteret ac inferret facilè demonſtrare poſſemus: ex hac enim aſſertione, quod *materia per ſe* ſit *activa*, promanarunt multæ *confuſæ* & obſcuræ opiniones, è quibus principalis illa eſt perſuaſio, quæ è ſchola Carteſii præcipue prodiit, quod animalia *viva* ſint *automata:* hinc plurimæ *rationales directiones* & *finalium* reſpectuum neceſſariæ conſiderationes *evileſcunt*, proinde *illæ qualitates* quæ ad cauſam *immaterialem* ſpectant, confunduntur cum animadverſionibus *phyſicis*, adeoque philoſophia *moralis* cum *naturali* male commiſcetur, cum tamen quælibet *diſtinctè* tractata & applicata in *Theoria medica* non *leves* aut exiguas utilitates promittat: multum enim præjudicat & *indoli motus* & *energiæ principiorum immaterialium moventium*, ſi *materiis* facultas *motus* generandi & producendi adſcribitur, inde illorum principiorum *dignitas* minuitur, quando in iisdem *illæ vires* non ex-

plorantur, agnoſcuntur & inculcantur, quæ *in iisdem* obſervantur & cum quibus *Deus eadem* inſtruxit, quod *primario* eſſe debeant principia *moventia*; contra vero *materiæ plus* imputatur & in eadem æſtimatur, quam quidem ullo modo & ſolida ac evidenti ratione probari & demonſtrari poteſt: & tale hyperorama *ſuperſtitionibus* medicis *theoreticis* accenſemus, quod propterea aliqua *emendatione* indiget, quo veritates medicæ meliori *ordine*, *nexu*, *fundamento*, *diſcretione*, *perſpicuitate* & *utilitate* gaudeant atque fulgeant: ita fiet ut magis innoteſcat *quid* ſit *motus*, *quidve materia*, quid ſit *agere*, quidve *pati*.

§. IX.

Medicis Superſtitionibus porro annumeranda eſt confuſa & *obſcura Theoria de Natura humana*, quando vel *incognita* quædam principia pro *natura* declarantur, vel quando paulo magis *conſpicuis* ſubjectis illæ *functiones*, *naturæ* competentes, adſignatur, quæ tamen cum illorum *facultatibus nullo* modo *conveniunt*: quid quæſo *Archeus* aliud eſt, quam tale *idolum*, *ſpectrum* & *phaſma*, quod *naturam* præſentare debet, de quo nulla evidentia & *certitudo* conſtat, *quid* ſit, *an* ſit, quid *poſſit*, *unde* ſit, *ubi* ſit & *quomodo* ab aliis principiis *differat*, & niſi indicaretur quod Archeus *naturam præſentare* debeat, ſane hæc theoria naturæ nil niſi *glaucoma* eſſet: interim multi hunc *incognitum* Deum, aut rectius hoc *vanum idolum* venerantur, eidemque *miras* facultates adſcribunt, cum alias *non entium*, ſicut *Archeus* eſt, *nulla* dentur *prædicata*: quare ad minimum Archeus denotat illud principium, quod naturam *repræſentare* debet, quod vero medici *ignorant*, quale ſit, unde ne *communi* & ſimplici *Naturæ* nomine id exprimant, *Archeum* nominant: ſicut ſuperſtitioſi *ethnici verum Deum* ſub multiplici perverſa *notione* & *figura* venerantur: non minus ſubinde evidentem *ſuperſtitionem* olet, quando diverſis *partibus*, diverſi *directores* aut *peculiares* naturæ aſſignantur, quæ tantum cum *certis denominationibus* exornantur, interim parum ſubinde curatur, an eidem etiam *realia* & *exiſtentialia* ſubjecta, an tantum *entia rationis* & chimæræ ſint: interea talia principia in

theo-

theoria medica ſupponuntur, *finguntur*, creduntur & propagantur, cum tamen nil niſi *umbra rationis* & luſus atque *fœtus phantaſiæ* exiſtant: ejusdem *furfuris* eſt *triplex* illa *animæ*, quæ in *philoſophica* & *medica* ſchola declamatur, è quibus animabus, *rationalis exiſtentia* ſua ſe comprobat, *vegetativa* vero & *ſenſitiva ſpuriam* phantaſiæ & imaginationis ſobolem conſtituunt: interea eruditi *tot animas* venerantur & *cæco* animo *credunt*, quaſi *Deus tres animas* creaverit easdemque *tantis viribus* inſtruxerit, quæ tamen è nudo *præjudicio* excogitatæ ſunt: exinde prodit *falſus* atque *ſuperſtitioſus* cultus *divinus*, dum iterum *plus* Deo *attribuitur* ac quidem *revelatio* & *lumen rationis* credere permittit: exinde enim oriuntur *tot* animarum ac operationum in *vivis* ſubjectis occurrentium *confuſiones*, ut quod *rationi* adſignandum eſſet, *alteri* cuidam obſcuræ cauſæ adſcribatur & ita *in infinitum* veritas opprimatur: hiſce ſententiis annumeranda eſt *antiquorum* traditio de *calido innato*, quod *naturæ* vices ſupplere debet, quod pro *Sacro* velut ente celebratum proſtat & idem ſignificare debet ac principium *vitale*: etenim dum *vita* ſeſe cum *calore naturali* manifeſtat, ſub quo *conſervatio* & *augmentatio naturalis* procedit, hinc *calorem* aut ſic dictum *calidum naturale* innatum pro *principio vitali* declarabant & ſub hac *craſſa ignorantia* & *confuſione* apertam *ſuperſtitionem* committebant, dum *attributa*, adjuncta, facultates & *conſecutiones* pro *cauſa principali* æſtimant & divulgant.

§. X.

Et *quanta* non *Superſtitio* premit *iocoſam* illam Theoriam de *Spiritibus*, ſive *vitalibus*, ſive *animalibus* ſive *aliis*: ita enim ex illo *præjudicio*, quod *anima* nullum *immediatum* commercium habeat cum *corpore*, ejusmodi entia *finguntur* animæque ſubjiciuntur, quibus uti ipſa debeat, quando corpus ſuum movere contendit: quare hiſce ſpiritibus tam *miraculoſæ* facultates imputantur, ut vel leviter attendenti animo mox compareat, quantæ *fabulæ* cum iisdem *ſpiritibus* ludantur: inde prodiit *ſuperſtitio*, quod hiſce *non entibus* adſcribatur fa-

cultas *movendi* & quod magis est, facultas functiones *vitales* administrandi & tam extreme *corruptibile* corpus *conservandi* & à putredine præservaudi, tot *inimicas* causas *diversæ* qualitatis, essentiæ & efficaciæ subjugandi, *condigne* tractandi & expugnandi &c. ut merito quisquam percontari debeat, *unde* hisce *spiritibus* tanta notitia & *sapientia:* neque quidem *ullius valoris* est horum spirituum *existentiam* ex certis *allegoriis* probare, proptereaque eosdem cum variis *denominationibus* sive *succi* nervei, sive liquidi nervei, sive *Gignatum* (uti *Daniel Major eosdem in disputatione de ærumnis gigantum* vocavit) sive *fluidi* nervei *ætherei* &c. exornare; cum *simplicissima* illa sit demonstratio, quod spirituum *parentes* sint *præjudicium* & *superstitio:* si enim anima *incorporea* corpus *immediatè* movere non potest, quodnam erit *medium* per quod *anima spiritus corporeos* movere & impellere deberet: nonne ex hoc errore prodit *recursus in infinitum*, cum tamen vicissim *infallibile* sit phænomenon, quod *anima* omnino *potestatem* habeat movendi *corpus! superstitio* itaque est, quando *negatur*, quod anima corpus movere possit, hinc accumulatio superstitionum est, quando per *lusum phantasiæ* supponuntur & obtruduntur ejusmodi *vicarii* actores animæ, quorum tamen *existentia nulla* est; quare *vanitate* & sterilitate plena est tota *theoria* de *Spiritibus* medica, quæ sub *speciosa* titulo & splendida *assimilatione* omni tamen *solido* fundamento destituta existit, qualis *character* merito ad *superstitiones* applicari potest: nam quæso! credere *materias*, quæ dicuntur *Spiritus* & illas *activas*, ex *animæ* primum *impulsum* recipientes eundemque postea *dirigentes*, continuantes & *rationabiliter* applicantes, cum animæ *moralibus* & *patheticis* commotionibus *consentientes*, ad *animæ* nutum & *arbitrium* in *voluntariis* motibus operantes, adeoque de *intellectu* participantes, quæ tamen nullo alio modo demonstrari possunt, quid *aliud* quam *superstitio* & quidem non levis & subtilis, sed *crassa* atque *palpabilis*, quæ propterea in *vera* & *rationali* theoria omni studio *evitanda*, est: & quis non erubescat *Deo* imputare velle, quasi ipse ejusmodi Spiritus *creaverit*, quos petulans

phan-

phantasia excogitavit, unde tanto magis illi *crassam* superstitionem committunt, qui *existentiam* Spirituum *è divina* revelatione evincere & demonstrare audent.

§. XI.

Præter hactenus commemorata Superstitionum medicarum theoreticarum specimina, quoad *fundamentales* suas considerationes perlustrata, merito adhuc annotari debet illa *confusa* corporis humani explicatio, quasi hoc *tantis viribus* præditum sit, quibus *se ipsum* in variis *morbidis* afflictionibus & motuum vitalium *alterationibus*, corrigere, *emendare*, meliorare & *curare* possit & id quidem per potestatem & *voluntatem divinam*, vel secundum stylum loquendi & communem errorem atque grande asylum physicum, quasi *materia* sit *activa*, aut quasi motus sit *essentialis materiæ* proprietas etenim cum per rationem sanam neque concipi, neque demonstrari queat, quo *materia* in genere *per se* movere possit, hinc *proh dolor* voluntas Dei talibus opinionibus & traditionibus *patrocinari* debet: ast quis quæso citra credulitatem, præjudicium & præcipitantiam concipere & hariolari poterit, quod corpus *læsum se ipsum reparare* valeat! nullum sane in *tota rerum universitate parallelum* phænomenon occurrit, quod corpus *destructum* atque læsum *sibi ipsi* succurrere queat, nisi interdum è *rarissimis* & *accidentalibus* effectibus atque eventibus *tale* specimen allegari possit, quomodo *turbulenti* motus *salutarium* finium atque effectuum *causam* subministraverint: sed quis non facile agnoscat, quod hæc exempla ad tot *numerosissimas* curationes morborum *spontaneas*, horumque *processus* plane non *applicari* possint: ecquis non facile per simplicem rationem convinci poterit, quam *contraria* & aures atque animum offendens sit assertio, quod corpus *destructum* & in illis qualitatibus, quibus se ipsum reparare deberet, *læsum*, nihilominus *se ipsum* curet, licet in tota rerum narura nullum *tale* exemplar occurrat, quod tale subjectum, quod *violatum* & læsum est capacitatem habeat, *se ipsum emendandi*, unde in communi rerum naturalium cursu contingit, ut subjecta *læsa*

alterius auxilio & ab extra ſuperveniente *directorio* indigeant: *laſum* enim *reparare* velle, involvit per ſanam rationem *notitiam laſionis*, cognitionem *methodi*, qua læſio reparari debeat, intellectum *mediorum* & adminiculorum, quibuscum læſio reparanda eſt & ſcientificam atque *rationalem* capacitatem *applicandi* hæc *media* ad illum proportionatum *finem*, qui *reparationi* læſionis competit: has ſingulas vero læſionum curationum *eſſentiales* & *neceſſarias* qualitates *illi* corpori, etiam nolentes, imputare debent, qui aſſerunt, quod *corpus ſe ipſum* curare poſſit: quoniam vero *nulla ratione* demonſtrari poteſt, quomodo per vires & *ordinem naturæ* poſſibile ſit, quod *corpus talibus* qualitatibus inſtructum exiſtat, hinc nihil aliud niſi illud *ultimum refugium* ſupereſt, quod *Deus hæc ita fieri voluerit* & has eſſe *leges divinas:* quaſi res optime acta ſit, quando tales paralogismi & naturali ordini *contrarii* effectus *divinæ* voluntati ludicre imputantur, tali ratione cum *voluntate* Dei ludere velle *religioni* ducimus: etenim cum in tota rerum natura ſubjecta *læſa amiſerint* qualitatem, quæ ad illorum *integritatem* præſentem ſpectant, quomodo quæſo eadem ſubjecta poſſideant *peregrinam* & *extraordinariam* qualitatem, qua ſe ipſæ ſine *alterius directione* meliorare & à *læſione liberare* queant: & ſecundum has conſiderationes *breviter* tantum delineatas atque propoſitas declaravimus, *quo jure* talem aſſertionem *ſuperſtitionibus* medicis theoreticis annumeremus.

§. XII.

Eximia & ridicula Superſtitio eſt, quæ in *Theoria* & *Pathologia Vermium* deprehenditur, quales ſpeculationes paſſim in phyſicis æque ac medicis contemplationibus atque tractationibus occurrunt: quod enim ipſa *carioſa* & *verminoſa* talia theoremata attinet, tunc ſane in aprico eſt, quanta voluptate *phantaſia* cum vermiculis modo *caudatis*, modo *capitatis*, in *ſemine* & *ſangvine* obviis verſetur & quam *jocoſæ* theoriæ *generationis animalis* & *morborum* fingantur: ubi utplurimum in hoc negotio res ita ſucce-

ſuccedit, ac cum *ſuperſtitioſis* & *timidis* hominibus, qui tot *ſpectra* metuunt, eademque *toties* comſpexiſſe commemorant, qualia tamen *alii*, qui neque *ita* ſuperſtitioſi, neque ita timidi ſunt, *vix facile* obſervant: ita utplurimum illi, quorum *phantaſia* cum *vermibus* oppleta eſt, *ubique* vermiculos ſibi *imaginantur*, quos tamen *alii* à *ſuperſtitione* & *præjudicioſa* tali opinione atque imaginatione *liberi* rariſſime reperiunt & conſpiciunt: quo loco tamen minime negamus, quod *ex accidenti* in ejusmodi liquorem *fermentativo* & *putrefactorio* motui valde obnoxium, quando aliquandiu *liberiori aëri* expoſitus fuit, vermiculi inſinuentur, qui tamen deinde ſæpe & perperam ex *ſuperſtitione eſſentialibus horum* liquorum qualitatibus & principiis annumerantur, indeque è falſo tali *fundamento* varia falſa *theoremata* conficiuntur atque in theoria *phyſica* atque *medica* declamantur: neque etiam negamus quod *ſerminia* vermium cum *impuro* cibo & potu ingerantur & quod in *impuris ſuccis* ex eiusmodi ſeminiis vermiculi generentur, qui tamen minimè *ad eſſentiam* mixtionis animalis referendi ſunt: neque etiam hoc negamus, quod *interdum* varii vermes in *diverſis* corporis animalis partibus & regionibus inveniantur, propterea tamen illi vermes minime *eſſentialem* partem corporis animalis *conſtituunt*: illud vero etiam ſubinde negari non poteſt, quod *non omnes* hiſtoriolæ, quæ *de vermibus* talibus recenſentur, *veritati* reſpondeant, ſed quod *multi* paſſim vermes è *phantaſia* & *ſuperſtitione* generentur: quidni itaque *fœda ſuperſtitio* fuerit, ex ejusmodi *rarioribus* & *accidentalibus* vermium obſervationibus mox ad *generalem* quandam ætiologiam confugere velle: *phantaſia* quidem tales contemplationes & inventiones admiratur, ſed ipſa ſerioſa & *venerabilis veritas* à jocoſis & *comicis* talibus explicationibus abhorret & tales ſpeculationes utplurimum otioſis, ſterilibus & curioſis laboribus committit, neque de eo contenta eſt, quando tantum *externi* ſenſus atque phantaſia ſaturantur: ſi itaque in talia ſubjecta *cardo*, *forma* & genuina ratio alicujus negotii & actus *vitalis* conjicitur, quorum tamen conſtitutio *longe alterius* indolis

exi-

exiſtit, quidni in tali theoria committatur *ſuperſtitio*, ubi *plus* creditur, aut ubi tam *ridiculæ phantaſiæ* pro *indubio* fundamento agnoſcuntur, quam quidem & ratio attenta & ſolida obſervatio permittit: quis enim credat *Deum voluiſſe*, quo ſanguis, ſperma &c. *è vermiculis* conſiſtat, ob illam cauſam, quoniam microſophi & microſcopi gloriantur, quod in hiſce humoribus vermes conſpexerint: hinc iterum Deo *longe aliud* quid imputatur, ac quidem *ipſe actu* præſtitit, quare ſub tali deductione hanc Theoriam de vermibus addita quadam limitatione *ſuperſtitioni* medicæ adſignavimus.

§. XIII.

Ecquis fuſius enarret illas ſuperſtitiones, quæ ex *antiquitate* paſſim & ſparſim *poſteritatis* animos occuparunt, ſicut obſoleta theoria de *ſpermate deciduo* teſtatur, quaſi à *qualibet* ſingulari corporis humani parte tale *ſeminium* ſecedat & decidat, quod in ſpermatis *colluvie* coacervatum, denique ad *totum hominem* conſtituendum contribuat, ut quodlibet ſeminium *ſpeciem* ſuæ partis proferat: ſed quis hanc traditionem pro veritate agnoſcat? quis credat quod tale ſeminium *deciduum* detur, quod partium *ſingularium* ſpecies in tale ſeminium ſit *concentrata*, quod ſecundum partes *figuram*, *numerum*, *nexum* &c. tale exactum ſeminium decidat &c. &c. unde prudentiores poſteritatis animi hiſce *fabuloſis* opinionibus vix patientes aures præbent, cum facilè inclareſcat, quam *fruſtra* in tam ſontico *generationis* actu talia ſupponantur & quam perverſe ordini *divino* hæc imputentur, quaſi Deus hæc ita conſtituerit, quæ *phantaſia* ſibi præfigurat: ſimilis ſuperſtitioſa opinio in negotio *generationis* occurrit, quando nonnulli ad mentem *Paracelſi* adſtruunt, quaſi in ſemine humano prima humani corporis *lineamenta* aut rudimenta, ſive *ideæ figurativæ* lateant, quæ in ſubſidium *difficilioris* illius conceptus ſupponuntur, quando per rationes *phyſicas* & *mechanicas* demonſtrari non poteſt, quomodo è primo quodam *puncto* tam elegans, formoſum & proportionatum corpus *formari* & ſtrui queat, eapropter præcoci pruritu *tales ideæ* finguntur & *ſuppo-*

nun-

nuntur: exinde elucescit, quomodo è crasso quodam *præjudicio* tales *icones* humani *semini* affingantur: æque ac in seminibus *vegetabilium* per merum *phantasiæ lusum* species effiguratæ & quasi *integræ* arbores, frutices ac herbæ delineatæ supponuntur, quibuscum reliquam *germinationem* & illius subjecti augmentationem adumbrare quidam contendunt; cum non nisi *stamina* quædam aut filamenta in *nonnullis* seminibus observentur, quæ tamen minime figuram illam *specificam* illius vegetabilis subjecti continent, sed tantum *prima* rudimenta pro *radicibus* construendis subministrant, ac in ovo gallinaceo in micula illa prolifica, filamenta conspicua minime pullum gallinaceum præsentant, sed tantum prima *indistincta* rudimenta pro *vasis sangviferis* suppeditant: quando itaque ex ejusmodi *obscuris* filamentis, quæ in continuante constructione & generatione ad *diversas* species formandas applicari possunt, *ideæ* tales effinguntur, quid aliud talis opinio *& imaginatio* pariat, quam sordidam *superstitionem*: quod vero tales traditiones superstitionum classi annumerari mereantur, exinde inclarescit, quod *simplex* atque *alius ordo divinus* cum ejusmodi figmentis & imaginationibus humanis confundatur, cum nulla *necessitas* postulet, quo seminibus talis *figurata* idea, *speciem* hujus subjecti repræsentans, inexistat, quoniam *reliquiis* generationis & germinationis processus in hisce, suppositis *rudimentis* & lineamentis *parum* emolumenti invenit: dum itaque *citra* ullam *rationem* tales ideæ creduntur & supponuntur, *ordo* vero generationis longe *simplicior* & *sincerior* est, hinc vix facile talia theoremata notam *superstitionis* evitare poterunt.

§. XIV.

Inter alias *Superstitiones* medicas *theoreticas* notari porro debet, illa traditio quæ circa *vitæ* explicationem vulgo circumvolat, quasi *vita animalis* ab aliqua *balsamica* substantia corporis, partibus *solidis* & *fluidis* intermixta, pendeat, quæ opinio ex illa *analogia* ortum traxit, quoniam *nonnulla* subjecta *balsamica* corpus animale à *putredine* arcent, hinc conser-

vationem corporis *vitalem* cum *physica* nonnulli *confundentes* judicant, quod *vita* nitatur tali subtili *balsamatione* corporis, ob quam nulla *putredo* invadere valeat: error vero hæret in *confusione* conservationis corporis: *alia* enim est *conservatio* corporis quæ competit *illis usibus* & applicationibus, quibus corpus *functionibus humanis*, animalibus, *vitalibus* & naturalibus subeundis quadrat; ast *tales* qualitates à conservatione *physica* & balsamatione corporis expectari minime debent, interea tamen ex *antiqua* quadam opinione *nonnulli* credunt, quasi subtilis talis *Balsamus* corpori inexistat, cum tamen sub *motuum* vitalium concursu hic suppositus Balsamus longe *minimam* vim habeat: dum vero de subjecto quodam, cujus *existentia nulla* est, id creditur & supponitur, quod vitam constituat & subinde ordo & modus vitæ longe *alterius indolis* existit, hinc traditio talis de vita perversa superstitionem olet: in hanc classem pertinet *pomposa* & altisona vitæ definitio quam *Paracelsus de vita longa Lib. 1. c. 1. Lib. 4. c. 7. & Nat. rer. Lib. 4.* proponit: Das Leben des Menschen ist nichts anders / dann ein astralischer Balsam / eine balsamische impression, ein himmlisches unsichtbares Feuer / eine eingeschlossene Lufft und ein eindringender Salz-Geist. Ejusdem valoris est vulgaris traditio *allegorica*, quod *sangvis* sit *thesaurus vitæ*, quasi in sanguinem *repositæ* sit vita, quæ *ex eodem* in *reliquum* corpus *effluat*: inde sanguini tanquam subjecto admodum *corruptibili* frustra attribuitur, quod vitam *contineat*; cum rectius vita in comparatione & *relatione* ad sanguinem sit *adventitia* qualitas, per quam *ipse sangvis* à corruptione *arcetur*: & licet de reliquo sanguis pro motibus *vitalibus* necessarium sit *subjectum*, tamen propterea nimis præcipitatum esset assertum, quod *in sanguine*, tanquam in thesauro, hæreat *vita*, quæ metaphorica & *allegorica* sententia propterea *aliquid* superstitionis involvit, sicut non raro ejusmodi *superstitiones* cum *allegoriis* exornantur: hac ipsa vero traditione creditur, quod sanguini vita *inexistat*, quæ declaratio tamen nullo *distincto* & *evidenti* conceptu prædita, sed ita *obscura* est, ut *alia* superstitiones

nes vulgo esse deprehenduntur: & quid dicamus de *communi* illa opinione, qua *sanguinis spirituascentia* declamatur: haud enim *difficile* est, quin hæc sententia superstitionibus accenseri queat: etenim quando sanguinis spirituascentia allegatur, tunc *idem est* ac si dicatur, quod sanguini inexistant ejusmodi materiæ *spirituosæ motrices*, quæ vulgo sub *Spirituum* appellatione deprædicantur, quorum in præcedentibus mentio facta fuit, *quantæ* vero superstitiones cum ejusmodi spiritibus committantur, non modo superius quadantenus demonstratum fuit, sed tota theoria medica facile testatur: ita enim de tali spirituascentia medici *plus sperant* meliusque sentiunt, ac quidem *simplex ratio* & *observatio* credere permittit: nam *materialis* talis spirituascentia sive *salinæ* sive *sulphureæ* indolis sit, plus ad *destructionem*, quam *conservationem* mixtionis animalis contribuit: ni denuo supponatur, quod eadem spirituascentia motum *vitalem* tam fluidarum quam solidarum partium *adjuvet*: ubi minime negamus, quod illa motum sic dictum *intestinum* & *dissolutorium*, sed non *exquisite* vitalem promoveat: hinc ejusmodi qualitati sanguinis tales qualitates attribuuntur, quæ alias *ordini* naturæ *repugnant*, adeoque *attributa materialium* & *immaterialium* subjectorum *confunduntur*, qualis confusio propterea in classem *superstitionis* medicæ incidit.

§. XV.

Et quis singulas *theoreticas Superstitiones* medicas enarret, cum illarum numerus immensus sit, sicut hactenus *aliquot cardinalia* specimina talium superstitionum proposuimus: sed priusquam nonnullas practicas superstitiones recenseamus adhuc præcedentibus famosam illam superstitionem, quæ circa *Incantationis* titulum occurrit, adjungemus: non quidem ita *absolutè* omnem incantationem negamus, *eximium* tamen illius numerum *Superstitioni* adscribimus: quid quæso *usitatius* est, quam morbos *corruptos*, *complicatos*, *anomalicos*, *confusos*, *mixtos*, *incongruos*, ex *hæreditate* interdum natos, *incantationibus* adjudicare: quot non pathemata è *mensium* negotio prodeuntia, cum *vermibus* complicata, ex *animi*

pathematibus genita, fascinationibus & *supra naturalibus* viribus adsignantur? quid quod non raro sub hoc pallio stupendæ energiæ, eximia ignorantia, sub hac pelle leonis nonnunquam abjectus & scabiosus asinus latet: unde nonnunquam *simplicissima* causæ *naturales* pro *dæmoniacis* potestatibus venditantur: propterea vero *non valet* consequentia, quod *omnes* causæ sint *naturales* & *nullæ* dentur supranaturales, quoniam commercium *virium* supra naturalium cum naturalibus adeo penitus negari haud potest: sed dum tam *fugitivè* citra ullam adhibitam *prudentem* quorundam effectuum inquisitionem & *sufficientem* indagationem atque *comparationem* fascinationes accusantur, quid aliud hoc est, quam crassa & cœca superstitio, quando *timida*, otiosa & impatientia ingenia mox ad hoc *phasma* & spectrum provocant & ita præter ullam rationem tam *horridam* causam & energiam expaveſcunt, adeoque interdum *propriam suam umbram metuunt* & aversantur, i.e. causas & influxus *naturales* pro *supranaturalibus* æstimant, hinc superstitionem cum superstitione & per Beelzebub principem dæmoniorum ejiciunt dæmonia, i.e. varias *superstitiosas curationes* in usum trahunt, ut ex uno *peccato theoretico* multa alia peccata velut *incredulitas*, *diffidentia*, *dubitatio*, *suspicio*, *desperatio*, *tentatio*, &c. generentur: & talis superstitio tam in *morbis infantum*, quam *adultorum* passim viget, quacum interdum reliqua inscitia & imperitia occultatur: & si paulo curatius *vires* & *aberrationes animæ humanæ* perquirerentur, sine dubio tunc inculpatæ & accusatæ fascinationes paulo *infrequentius* occurrent: sed dum *energia animæ* in corpus *otiosius* indagatur, aut ob *alias steriles* speculationes plane obliteratur, mirum vix esse potest, cur ex ejusmodi *subtilibus* theoriis tam *crassæ* superstitiones oriantur: etenim si *materiarum* vires *motrices* evilescunt & *subtilitates physicæ* ad explicanda diversa phænomena *non quadrant*, tunc nonnulli ita *contumacis*, *duræ*, *diræ* & *refractariæ* indolis sunt, ut lubentius *ad diabolum* confugiant & provocent, quam ad *animam humanam*, quoniam hujus *commercium* cum *corpore* in theoria physica adeo *exosum*

est,

eſt, ut facilius *diabolo* locum concedant in claſſe cauſarum & concurſuum ad *alterandum corpus* animale, quam *anima humanæ*: hinc ille paralogiſmus innotuit, quod *anima* non poſſit movere *corpus*, quia inter *immateriale* & *materiale* non datur commercium: aſt *diabolo* conceditur in caſibus *extraordinariis*, quod *corpora* alterare poſſit, licet *ordinariè anima* & *corpus* animale humanum cohabitent: quanta vero in hiſce opinionibus hæreat ſuperſtitio, facile ſane inclareſcit: neque quidem in *hodiernis* ævis ejusmodi ſuperſtitiones vigent quin ipſe *Hippocrates* ſuo tempore tam *ludicram ſupranaturalium* virium accuſationem reprehendit, quando de *morbo Sacro* dicit, quod homines omiſſis naturalibus cauſis ita præcipitanter ad *divinas* confugiant: quare mox in initio *Libr. de Morb. Sacr.* dicit: *Morbus ſacer naturam habet, quam etiam reliqui morbi, unde ſit; homines vero naturam & cauſam ejus divinam eſſe putarunt præ inexperientia & admiratione, propterea quod reliquis morbis nulla re ſimilis eſt; & per inopiam quidem quod non cognoſcunt, divinitas ipſi conſervatur, per abundantiam vero & parabilem modum ſanationis medentur: exolvuntur enim aut expiationibus aut incantamentis; ſi vero propter admirationem divinus cenſetur, multi morbi ſacri erunt & non unus*: paulo poſt pergit: *cæterum qui primi hunc morbum ſacrum eſſe pronunciarunt, tales homines mihi eſſe videntur, quales etiam nunc ſunt magi & expiatores & circulatores & quidam arrogantes, qui ſe vehementer pios eſſe ſimulant & amplius quid ſcire: hi itaq; conſilii ac mentis inopiæ obvelantes ac prætexentes divinitatem, quam nihil haberent, quod exhibitum prodeſſet, ut ne manifeſte fieret ipſorum ignorantia, ſacram hanc affectionem eſſe pronunciarunt & rationibus idoneis collectis curationem conſtituerunt ſibi ipſis ſecuram expiamenta offerentes & incantamenta*: quo loco Senex ſuperſtitionem antiquorum, quæ cum ſuperſtitione poſteritatis convenit, eximie & egregiè delineavit.

§. XVI.

Proxima conſideratio ducit nos ad *alteram* thematis noſtri evolutionem, licet in *priori* parte *adhuc varia* & multæ ſpe-

cies ſuperſtitionum medicarum indicari queant: placet itaque nunc *nonnullas Superſtitiones* ſignificare, quæ in *Praxi medica*, ſub *ſpecie* rationalis medendi methodi, occurrere ſolent; haud tamen nobis animus eſt *longa* ſerie *remedia* ſuperſtitioſa commemorare, qualis labor in ſpiſſum opus excreſceret, quare in præſente *altera* animadverſione iterum *brevitati* ſtudere cogitamus: mox vero in limine hujus practicæ diſquiſitionis ſuperſtitionibus annumeremus communem curam pro *longævitate* concilianda per varia experimenta uſitatam, quaſi *remediis* virtus illa *inexiſtat*, quod vitam longam *efficiant*, cum tamen *communis uſus* atque obſervatio doceat, quomodo illi homines, qui ad ſeram ſenectutem pervenerunt, non modo *rarius* ægrotaverint, ſed & infrequentius *medicamenta* uſurpaverint: unde nobis illud *paradoxon* arridet, quod homines *multum* & *multis medicis* & *medicamentis* obtemperantes, *raro longam vitam* nanciſcantur & viciſſim non modo in *adverſa* valetudine *confirmentur*, ſed & ad *præmaturam* mortem præparentur: cuicunque enim œconomia *vitæ* exactè conſtat, ille non facile ſibi perſuadere poterit, quod *unum remedium tot* viribus & *virtutibus* præditum eſſe poſſit, quibus *omnibus* vitæ requiſitis ſatisfacere queat: & cum ad vitam ante omnia requiratur vegeta *activitas*, quam *vulgo*, ſub nomine *virium* ſalutare ſolent, deinde *organorum* perpetua *aptitudo*, porro *fluidarum* partium congrua *mobilitas* & *ſolidarum* juſta *flexilitas*, præterea *ſe* & *excretionum* conveniens, ſufficiens & conſtans *ſucceſſus*, ut & *ingeſtorum* legitima *tractatio* & debita *applicatio*, nec non omnium functionum *animalium*, *vitalium*, *naturalium* & *moralium harmonia*, quis quæſo ita *credulus* ſit, ut de hoc aut alio *remedio* cogitet, quaſi *omnibus* hiſce circumſtantiis ſatisfacere queat: ſi itaque aſſeritur, *aloen*, *helleborum*, *myrrham*, *oleum*, *balnea*, *inunctiones*, *vinum*, *aquam* &c. longævitatem conciliare, quis eſt, cui in tali aſſertione ſuperſtitio non cognita fiat? quamvis enim ſingula hæc adminicula *aliquid utilitatis* pro *vita* & *ſanitate* afferant, quis vero adeo *ſuperſtitiosè* credat, quaſi illa *unicè* & *per ſe* vitam

longam cauſentur: & cum primario dies & vita hominis ab *altiori* directorio pendeant, tamen ad longævitatem *plures* qualitates pertinent, ac vulgo illis adminiculis adeſſe ſolent, quæ ad longævitatem ſecundum diverſam hominum opinionem & perſuaſionem commendantur: exinde etiam facile elucefcit, quod *talia* prædicata, quæ de *medicamentis vitam* promittunt, velut *Mercurius vitæ*, *aurum vitæ*, *oleum vitæ*, *pulvis vitæ*, *plus* ferant in *titulo*, quam in *effectu*, aut ad minimum hoc ornatu non *univerſales*, ſed *reſtrictas* utilitates promittant, uti non niſi per ſuperſtitionem ex ejusmodi *particularibus*, aliquando etiam non *contemnendis* remediis, *univerſalia* finguntur.

§. XVII.

Præterea *Superſtitioſis* curationibus annumeramus *vulgarem* præparationem corporis per *univerſalia*, quando *promiſcue* in multis morbis præmittuntur tales evacuationes, quæ non niſi *ſpecialibus* cauſis atque circumſtantiis reſpondent: inde contingit ut ſæpe curationes inchœntur cum *vomitoriis*, *purgationibus*, *VSnibus* &c. deinde vero continuentur cum *ſpecialioribus* indicationibus & remediis: haud vero propterea *univerſales* tales evacuationes *abſolutè* improbamus, quin potius teſtamur, quod *interdum* ejusmodi *excretiones* pro *meliori* diverſorum morborum curatione cum maximo emolumento *præmittantur*: id tamen *ſuperſtitionis* maculam haud declinat, aut abſtergit, quando hiſce *univerſalibus* imputatur, quaſi morbos mox in *prima* generatione *jugulent*, unde ſub hac *perſuaſione* multi *confeſtim* ad hæc medicamina confugiunt, ſed utplurimum affectus adeo *corrumpunt*, ut difficillimus labor ſit, quo tantum *hæc corruptio emendetur*, ut nihil de reliqua *methodica* morbi curatione dicamus: quicunque itaque ſub ſpe *generalioris* præparationis confeſtim univerſalia talia *promiſcuè* uſurpant, ſuperſtitionem committunt, dum cœcâ quadam *credulitate* vulgares illas opiniones amplectuntur & *plus* de talibus univerſalibus ſperant & promittunt, quam impetrant & conſpiciunt: haud vero nobis hoc loco ſermo eſt de *empiricâ*

& ple-

& plebeja purgationum, vomitionum, ſudationum, venæ ſectionum, ſcarificationum, veſicatoriorum &c. commendatione, qualis *apertam* ſuperſtitionem prodit, dum *fatui* & vani homines ſub *qualicunque* morboſa perceptione, mox ad ejusmodi evacuationes *confugiunt*: interim id magis *vitioſum* nobis videtur, quando de medicæ artis incremento, honore & certitudine magis *ſolliciti*, idem committunt & *univerſalibus* talibus remediis *tantam* fidem & fiduciam largiuntur, quaſi illa ita *indiſcretim* quorumvis morborum radices extirpare adjuvent: *Seorſim* vero apprehenſionem & *reprehenſionem* meretur illa *vulgaris* ſuperſtitio, quæ cum *V. Sne* committitur, ad quem ſæpe *cæco* cum pruritu, tamquam ad *Sacram anchoram* multi *promiſcue* confugiunt; inde etiam plebeja illa traditio & ſuperſtitio innotuit, daß die erſte Aderläße vor den Todt helffe: eapropter nonnulli ſuperſtitioſi & creduli homines V. Snem in *minori* morbo, ad cujus *præoccupationem* tamen omnino quadraret, negligunt & ad *gravioremem* reſervant: ſicut vero ſuperſtitio eſt, quando nonnulli in omni ferme morbo *confeſtim* V. Snem ordinant, ſub illa perſuaſione, quo *cor* ventilent, daß man dem Hertzen Lufft mache/ ita etiam eximia viciſſim ſuperſtitio eſt, quando quidam in *alterum extremum* ruunt, omnemque V. Snis uſum *metuunt*, averſantur, *fugiunt* & interdicunt, ſub illo *prætextu* ac perſuaſione, quaſi vel *bonus atque* laudabilis ſanguis ſubtrahatur, vel ſimul *vires* & *ſpiritus vitales* educantur, vel membra *tremula* & *viſus debilis* atque obſcurus reddatur, man bekomme ſchwache Glieder/ zittern in Gliedern/ und blöde Augen davon/ quales *traditiones*, quibus non nunquam *medici* auſcultant & adhærent, omnino *de familia ſuperſtitionum* ſunt.

§. XVIII.

Superſtitionis macula ſubinde etiam illæ traditiones infectæ ſunt, quando aliis univerſalibus remediis, quæ ſub nomine *Panacearum* circumferuntur, tam *ſtupendæ* & portentoſæ qualitates adſcribuntur, quaſi *omnibus* aut *pluribus* morbis per-

curan-

curandis ſatisfaciant, cum tamen non modo multi morbi *in genere* quoad *cauſas* ſuas diſcrepent, ſed etiam *ſingulatim* conſiderati morbi diverſis cauſis nitantur, ut hic valeat illud, quod unius rei plures poſſint eſſe cauſæ: quis vero jam exiſtimet, quod *talia* univerſalia, aut *omnibus morbis* aut *ſingulis cauſis* ſatisfacere queant? & cum hæc difficultas facile comprehenditur, hinc pro *conſervanda* fama talium Panacearum variæ traditiones, æque *ſuperſtitioſæ* in ſubſidium ducuntur, quaſi talia remedia *cor roborent, vires augeant*, robur corporis confirment, *Spiritus* reficiat corpus cum *balſamica* qualitate impregnent, *putredinem* avertant & neſcias quid aliud efficiant; quales virtutes propterea ita *finguntur*, ne fama talium panacearum aliquod diſpendium patiatur, inde *obſcurum* per æque obſcurum proponitur: propterea tamen ejusmodi remediis *non omnes* virtus denegatur, ſed tantum *illa univerſalis* utilitas in dubium vocatur: tale remedium *febrifugum* poſſidere gloriatur Kergerus, quod *omnibus febribus* citra reſpectum ſpeciei, temporis &c. *promiſcue* mederi debet, quod merito ſub conſiderationem ducit: *Celeberr. Stahlius diſp. de præparatione corporis therapevticæ* §. 43. & quot non quæſo paſſim circumferuntur *arcana* remedia certis *familiis* uſitata, aut ab iisdem *appellationem* nacta, quæ ad *omnia* morborum genera commendantur, adeoque *cæco auſu* indiſcretim adhibentur ac per ludicram ſuperſtitionem divulgantur, quid quod aliquando prudentibus artificibus contingit, ut ipſorum *utilia* & laudabilia remedia *præter* eorum *intentionem* nimis *late* extendantur, & ſi *ubique* expectatos & *deſideratos* effectus haud præſtant exinde perperam *rejiciuntur*; de qua *abuſiva* tamen remediorum applicatione & inde nota ſuperſtitione latius hoc loco diſſerere minime lubet: deplorandum omnino eſt, quod inter ipſos medicos ſuperſtitioſæ tales remediorum *extenſiones* vigeant: ejusdem indolis ſunt remedia *prognoſtica* ſive ita dicti pulveres vitæ & necis, qualia remedia morbos *decidere* debent, an ad *bonum* aut *malum* eventum tendant, quibus ex nuda ſuperſtitione talis eximia & *myſtica* virtus imputatur, quaſi *extemporanea* quadam efficacia ita *ſubito*

periculoſos morborum eventus *eo usque alterare* valeant, quo confeſtim *melioratio* conſequatur; quæ mutatio majori admiratione digna eſt, quam, quod quid in talibus caſibus citius & facilius evenire poteſt, ſi talia remedia deteriorem morbi ſtatum poſt ſe trahunt; ſic itaque ejusmodi qualitates, quæ de *eventu* alicujus morbi *deciſionem* facere debent, ſed quæ eo ipſo *digniori* & altiori cauſæ competunt, ſubjectis *materialibus* aut ita dictis *remediis* imputantur, quidni in tali traditione ſuperſtitionem hærere quisquam agnoſcat: inde etiam contingit, ut homines talia remedia plus æſtiment atque attendant, quam ipſum benigniſſimum *Deum* hujusque directionem & benedictionem: *conf. Bohnius de offic. med. dupl. p. I. c. 6. p. 139.*

§. XIX.

Curationes illæ *famoſæ* inter medicos valde uſitatæ, *cordis præſervationi* dicatæ, multis etiam modis ſuperſtitioſæ exiſtunt: *fundamentum* harum curationum non quidem *vanum* eſt, videlicet quod *cor* tam *celebris* & in œconomia *vitali pretioſa* pars ſit, hinc multi in eo *cardinem curæ* poſitum eſſe conjiciunt, quo modo *cor præſervetur:* inde innotuerunt *cor roborantia* & *cardiaca* remedia, alii *venenum* à corde fugare omni ſtudio annituntur, nonnulli cor *præmunire* contendunt, ne contagium ad cor relabatur, man müſſe das Hertz verwahren/ das Hertz ſtärcken; ſed cum *nulla* talia adminicula in penu & *poteſtate artis* ſint, quibus cum proprie & directe talis *intentio* in *actum* duci queat, hinc perſuaſiones tales communiter *vanæ*, *plebejæ* & *ſuperſtitioſæ* exiſtunt: etenim quamvis talia remedia in Therapiæ ſuppellectili reperirentur, tunc ſane in *plurimis* morbis hæc *indicatio* radicem & *formam* mali non attingerent, ut tantum ex ſuperſtitioſa & *cæca* æſtimatione cordis talia remedia adhiberentur: *ſimilis* vanitas atque *ſuperſtitio* occurrit ſæpe in uſu remediorum *pretioſorum* & *auro*, *argento*, *margaritis* aliisque *gemmis* paratorum, hinc tot ſpecies *cordiales*, *lætificantes*, tot bezoardica *ſolaria lunaria* ſimiliaque medicamenta deprædi-

can-

cantur: & cum vulgo hæc metalla *nobilia atque* gemmæ in magna *existimatione* & *pretio* civili constituta sint, hinc utplurimum per superstitionem concluditur, quod eximias virtutes *medicas* possidere debeant: cum tamen usus & observatio doceant, quam unquam *speciales* & singulares effectus *salutares* cum remediis *simplicissimis* impetrati sint, & quanta vulgo *persuasio* pretiosorum remediorum usum comitetur: hinc evenit ut speratos illos effectus medicos non medicamentum *pretiosum* sed firma *opinio* & *imaginatio* patientis invitaverit; unde non nisi ex *superstitione* hisce remediis virtutes *cardiales analepticæ nervinæ* imputantur: quicunque enim sibi non *firmiter* persuadent, quod margaritæ &c. has virtutes possideant, illis conchæ præp. oc. cancr. *easdem* ferme virtutes exhibebunt: porro *superstitionis* macula notata est *illa opinio*, quasi medicamenta *per se* vim medicam & *salutarem* habeant, cum tamen vis illa *medicatrix* utplurimnm è *nobiliori* & altiori causa pendeat: quod enim communiter medicamenta non *ex* & *per se* effectus *medicamentosos* producant, sed quod *naturæ* humana *per* & *propter* remedia illa *utplurimum* operetur, quæ ad corporis *conservationem* spectant, latiori & curatiori studio expositit *D. D. Præses in Disquisitione medica de medicamentorum modo operandi in corpore vivo:* dum vero multi adeo *superstitiosè* credunt, quasi remedia tantis viribus prædita sint, hinc evenit, ut modo satis sæpe *superfluè* & *præmature* medicamenta obtrudantur, sed & ut celebres curationes per *expectationem* & *abstinentiam* oblivioni tradantur, & sæpe *natura* præter necessitatem & utilitatem cum *artificiosis* methodis & medicamentis *obruatur:* exinde cum magno etiam damno curationes *spontaneæ* sive *autocratia* naturæ obliterantur, in *sola* remedia *fiducia* conjicitur, variaque *empirica* medendi ratio increbescit, eo ipso vero *rationalis* medendi methodus magis *obscuratur.*

§. XX.

Dum vero de *medicamentis*, tanquam de *instrumentis*

medici artificis nobis fermo eſt, ſita brevibus in eadem conſideratione adhuc nonnulla in medium proferre & perpendere lubet, quid ſuperſtionis in commendatione remediorum reperiatur: aſt quamvis hujus animadverſionis *D. D. Præſes diſputatione de dubiis vexatis materiæ medicæ* mentionem fecerit, tamen quædam hoc loco pro *emendatione* materiæ medicæ repetenda ſunt: & ita ſane *materia medica* ſuperſtitionibus talibus turget & abundat, quando ex vanis quibusdam *opinionibus* & *perſuaſionibus* diverſis ſubjectis *miræ* qualitates *affinguntur: generalis* omnino ſuperſtitio eſt, quando *omnibus* ſubjectis rerum naturalium virtus *medica* adſcribitur: inde nonnulli colligunt & concludunt, quia Deus *omnia* ſubjecta *certis viribus* & qualitatibus inſtruxit, ergo *medicas* etiam facultates habere debent: hæc ipſa *vitioſa* & *præcipitata* argumentatio præcipue in *vegetabilis* regni commendatione adhibetur, hinc *præmature* quidam concludunt, quia omnes herbulæ *certis qualitatibus* pollent, ergo *medicam* illis virtutem ineſſe, quaſi Deus *omnes herbas* pro *uſibus medicis* deſtinaverit, aut quaſi *præter* uſus *medicos* non *alii* dentur, quos ejusmodi vegetabilia promovere queant: deinde craſſa ſuperſtitio eſt, ſi *pulmonibus vulpis* virtus in morbis *pulmonum*, ſi inteſtinis lupi efficacia in colica, ſi *teſtibus* animalium laſcivorum facultas contra *ſterilitatem* ſi *cervo* vis *antidotalis*, ſi *ungulæ alcis* virtus *antepileptica*, ſi *ſanguini humano* eadem utilitas adverſus epilepſiam &c. &c. imputatur, quibus *encomiis*, ſi horum *fundamenta* examinantur & eruuntur, communiter craſſa *ſuperſtitio* adhæret, ubi ex plebeja *aſſimilatione* & allegoria confeſtim *medicæ* virtutes inveniuntur & ſupponuntur; & quantæ non vulgo laudes de *lapidibus pretioſis* deprædicantur, quod v. g. *magnatum* gratiam concilient, quod *proſperos* rerum ſucceſſus cauſentur, quod *hilaritate* promoveant &c. ita ut quilibet *prudens* vir ſatis multam *induſtriam* adhibere debeat, ne *inopinato* in tales ſuperſtitiones incedat & conſentiat: & quid dicamus de illis *characteriſmis* & *ſignaturis* plantarum,

tarum, quantum in hoc negotio *phantaſia* luxuriet & ſuperſtitio operoſa ſit, facile liquet, dum ad diverſos morbos ſantis multa remedia commendantur ex eodem *aſſimilationis* fundamento, quaſi admodum *rationalis* ſit aſſertio, quia hoc vel illud remedium quoad *externam* quandam *figuræ* paritatem cum hac vel alia *parte* convenit, ergo *hujus partis morbis* mederi debet, ubi utplurimum μετὰ πολλῆς φανταϛίας hæc aſſimilatio inſtituit: de reliquo candide confitemur quod ubique in *materiæ medicæ* tractatione magna *circumſpectione* opus ſit, ne quisquam cum aliquali *ſuperſtitione* inficiatur: etenim ſuperſtitiones adeo in hoc ſtudio *abundant*, ut vix quisquam in eodem pedem promoveat, ni talem ſuperſtitionem offendat atque calcitret.

XXI.

Et quid dicamus de *illa* remediorum commendatione, qua ſecundum diverſitatem *influxus ſiderei* iisdem ad opinionem *Paracelſi*, *Carrichteri*, *Thurneiſeri*, *Cardelucii*, *Hiebneri*, *Schlegelii* variæ eximiæ *virtutes* adſcribuntur, & *tali titulo* in materia medica deprædicantur, ubi inter alia ſubjecta hoc loco tantum ad *illas vanitates* provocamus quæ decollectione radicis pœoniæ proferuntur; an non in tam *ſubtili* plantarum aliarumque naturalium rerum diſquiſitione immenſæ & multæ ſuperſtitiones occurrant, facile judicare licebit: etenim quando nonnulli deſiderant, quod hæc vel illa ſpecies in hac vel illa domo, hoc vel alio ſigno hoc vel alio gradu, anni, planetæ, Ecclicæ colligi debeat, quæ quæſo in tali deſiderio, *ratio*, quæ *experientia*, quodnam rationale *fundamentum?* quodſi quidam ad uſum, obſervationem & *experientiam* provocent, tunc facile liquebit, *quanti valoris* talis experientia exiſtat, & an non cum *Chiromantis* & *Geonantis* paria fata ſubeat: inde facilè judicare licet, quantis ſuperſtitionibus hæc theoria *aſtrologica* & *meteorica* immerſa ſit, & quomodo *hæ ſuperſtitioſæ* remediorum æſtimationes iterum à *rationali* medendi methodo ſeducant, & ad *fœdam* & cæcam *empiriam* invitent; minime vero

de *eo phænomeno* nobis ſermo eſt, quod *diverſæ* vegetabilium ſpecies ſecundum *differentiam anni*, prout vel minus *ſucculentæ* & *maturæ* ſunt, nunc magis nunc minus *efficaces* & utiles exiſtant, ſed de eo tantum judicamus, quomodo *myſtici* illi *influxus* materiales ſiderei ſecundum *communem* ſuam theoriam propoſiti nuda ſuperſtitione nitantur: ſiquidem homines ſibi tantum tales virtutes *perſuadent*, neque per *ingenuam* experientiam probare & ſufficienter teſtari poſſunt, in quo *ratio à priori* abſolute deficit: ejusdem furfuris eſt *cura magnetica*, quæ per *allegoriam* hoc nomine ſalutatur, quaſi illius ratio & modus fiendi *æque obſcurus* ſit ac magnetis *operandi modus* unde non quidem neceſſe eſt, quo ſemper magneticas compoſitiones medicas magnes ingredietur, ſufficit interdum vetuſta felis, aut annoſus ſcabioſus canis, aut emeritus porcus, aut famoſa uſnea, inde conficiuntur remedia *ſtupendorum* encomiorum, prout *Crollius in Baſol. chym.* tale unguentum magneticum deſcribit, de quo *Mappius in diſp. de remediis ſuperſtitioſis inſignioribus dicit: nos miſſis aliis Crollianam* (loquitur enim de compoſitione unguenti magnetici, hujusque formula) *quæ parum aut nihil ſuperſtitionis prætermiſiſſe videtur, ſaltim examinabimus:* brevibus tantum hoc loco tanquam in theſi indicamus, quod *utplurimum magneticis* talibus ſplendidis & ſpecioſis artificiis *non parum* ſuperſtitionis inexiſtat: uti traditiones de *pinguedine humana* de *corio humano*, de *uſnea cranii* humani, de *Spiritu microcoſmi*, de *mumia* facile ſub involucro ſuperſtitionis obvelatæ deprehenduntur.

§. XXII.

Vix aliam cenſuram de poteſtatibus *Mumialibus* ferre poſſumus, ubi merito cum *Garmanno* conſentimus, qui de *Mirac. Mort, Lib. 1. tit. 2. §. 29.* dicit: *magnetiſmus mumialis otioſi cerebri commentum eſt, è lacunis Paracelſivis hauſtum prognatumque* etenim ſub virtutibus *mumialibus* craſſa ignorantia & *ſuperſti-*

tio

tio occultatur, ita ut qui *nihil* dicunt, & de *mumialibus* potestatibus dicunt, *idem* ferme & sæpe dicant: *terribile* enim mumiæ nomen mox *cæcam* quandam *venerationem* in *credulis* & *superstitiosis* animis excitat; unde *vana* ingenia *mira* dixisse sibi persuadent, quando *mumiales energias*, accusarunt: ita etiam curæ *sympatheticæ* & per *transplantationem* institutæ sæpe simili superstitione nituntur, hinc homines *plebeji* mox ad tales curas confugiunt & ex iisdem promptam & *miraculosam* liberationem à sua afflictione expectant, in quarum curarum effectu sæpe *phantasia* & *imaginatio plurimum* totius negotii absolvit, inde evenit ut *legitimus* harum curarum usus in *pravum abusum* & abjectam superstitionem rapiatur; & quot ac quantæ non sæpe excitantur superstitiones cum *signaturis formularum* præscriptarum, ut si interdum *ingredientia parum* utilitatis promittunt, tamen *splendor* & *pompa subscriptionis* hominum animos alliciat; quæ non porro fœdæ superstitiones committuntur, cum *periaptis*, *characteribus sigillis*, *amuletis* &c. quæ ab aliis peculiari studio atque proposito demonstratæ sunt *conf. Casp. Rejes Camp. Elys. quæst. jucund. qu. 23. Mappii disp. de remediis superstitiosis insignioribus Welschii disp. de superstitiosa morborum cura: Deusingii disqis. de morborum quorundam superstitiosa origine ac curatione: Roberti disp. de superstitione;* quot non superstitiones in *uromantia* occurrunt, ubi citra ullum *fundamentum* interdum sub *prætextu* observationis & *empiriæ* cœco quodam ausu *certieffectus* & *eventus* prædicantur, qui raro hisce præsagiis respondent: superstitio est, quæ committitur cum *imparitate* pilularum & guttularum assumendarum, cum intermixtione *foliorum* auri in pulveres, mixturas: superstitio est quando *pulvilli pulsibus* & *cordis* regioni apponuntur, sub spe & promissione quod *imediate* vires, cor *Spiritus* reficiant: superstitio est *garrulitate* & portentosis suis promissionibus sibi *fiduciam* ægrotantium conciliant, ut hi ex solo *medici adspectu* quasi restitutos se profiteantur, in quo errore mulierculæ & qui hisce placere gestiunt hærent, super-

perſtitio ſæpe latet in nimis *copioſa* remediorum ingeſtione, quæ cum illa enunciatione proditur: viel hilfft viel: & *quantus campus* ſuperſtitionum medico-practicarum patet, è quibus tantum *aliquot ſpecimina* allegare placuit: ſufficiant itaque hæc *ſpeciminis* loco protuliſſe, quare pedem hic ſiſtimus. Deumque rogamus quo Medicinam indies ab ejusmodi mendis & nævis purget & reliquas *rationales* operationes ſua gratia comitetur, cui propterea etiam noſtram oppellam & reliquos noſtros conatus humillime conſecramus.

FINIS.